rum per libidines non sustinetur; quamquam inter illius tem
poris homines adque istius hoc inter est, quod illi aequo animo haec
intoleranda tolerabant, quia in his nati vel enutriti erant, & meliora
non noverant; isti autem in perpetuo in vita sua tranquillitatum &
diliciarum sereno adsuefacti ad omne vel modicum obductae solli
citudinis nubilum commoventur; adque utinam ipsum depul
sorem huius vel modicae inquietudinis precarentur, cuius mune
re hanc ignoratam aliis temporibus iugitatem pacis habuerunt;
& quoniam spopondisse me memini, cum vel ut articulis quibus
dam dicendi ordinem definirem, dicturum me esse ab orbe
condito usque ad urbem conditam, huic volumini quem ab orbe
condito explicuimus finis hic est, ut ab urbe condita sequens libel
lus incipiat, contextiora illorum temporum mala exercitationi
bus quippe ad nequitiam adque eruditioribus hominibus continebit;

EXPLICIT LIBER PRIMUS;

INCIPIT ADVERSUM PAGANOS LIBER SECUNDUS;

NEMINEM IAM ESSE HOMINUM ARBITROR QUEM
latere possit, quod hominem in hoc mundo deus fecerit; unde & iam
peccante homine mundus arguitur, ac propter nostram intempe
rantiam conprimendam terra haec in qua vivimus defectu ce
terorum animalium & sterilitate suorum fructuum castigatur;
Itaque si creatura di merito & dispensatione di sumus, quis enim magis diligit
quam ille qui fecit? quis autem ordinatius regit, quam is qui & fecit
& diligit? quis vero sapientius & fortius ordinare & regere facta
potest, quam qui & facienda providit & provisa perfecit? quaprop
ter omnem potestatem a deo esse, omnemque ordinationem
& qui non legerunt sentiunt, & qui legerunt agnoscunt; quod
si potestates a deo sunt, quanto magis regna a quibus reliquae

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG

BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA

HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen

UNESCO Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation

Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991

© Biblioteca Apostolica Vaticana

http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_829/0039